



# **Disputatio juridica inauguralis continens theses sive quaestiones juris quasdam illustres**

<https://hdl.handle.net/1874/343276>

32.

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,  
CONTINENS

Theses sive Quæstiones-Juris  
Quasdam Illustres,

<sup>Q V A M,</sup>  
PRÆSIDE DEO TRIUNO.

Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

JOANNIS GEORGII GRAEVII

Politices, Eloquentiae & Historiarum Professo-  
ris Ordinarii,

NEC NON

Amplissimi Senatus Academicī consensu, Nobilissimeque  
Facultatis JURIDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus atque immu-  
nitatibus Privilegiis ritè & legitimè consequendis,

Eruditorum examini subjicit

ANTONIUS CASP. ELVERFELT. Osnab. Westph.

A. D. 22. Septemb. horis locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, clc Icc xc.

DEO  
FAUTORIBUS  
ACON  
AMICIS

SAGRUM.

Ex Officina Francisci Hallua, Accedente  
Typographi, ap. p. xc.

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS  
CONTINENS

Theses sive Quæstiones-  
Juris quasdam Illustres.

THEISIS I.



Ueritur an mutus pacisci prohibeatur ?  
Negatur? quia potest mentem exprime-  
re, vel scripto, vel alio signo, quod ad pa-  
ciscendum sufficit , l. 2. §. 1. ff. de pact.  
Sic nec prohibetur surdus, nam & hic  
mentem etiam si omnino surdus, vel vo-  
ce, vel scripto, vel alias exprimere  
potest l. 48. ff. de O. A. Stipulari vero  
non possunt §. 7. inst. de Inutil. stipul. cum

Stipulatio non possit confici, nisi, utroque loquente, & altero  
interrogante, & altero ad interrogatum respondente. Non  
enim ad hanc obligationem constituendam sufficit per literas aut  
interrogari, aut respondere, sed verbis utriusque intervenire &  
lingua nuncupari necesse est, vid. l. 1. ff. de V. O. l. 1. §. pen.  
de Obl. Act. in princ. & in §. 1. Inst. d. V. Obl. §. 11. Inst. de inut.  
stipl.

I I.

Fructuarius re fructuaria non modo ipse frui potest, sed &  
alteri locare, dummodo sit res quæ locari soleat, seu locatori

A 2 ho-

## 4 DISPUTATIO JURIDICA

honeste possit: utputa qui habet usumfructum fundi, recte cum fundum locat. l. 13. §. ult. l. 12. §. 2. l. 15. §. 4. & 5. l. 27. §. 1. l. 58. in pr. ff. de usuf. item locare debet tanquam fructuarius, non vero tanquam rei dominus: alioquin deciperet conductorem, qui scire debet se amissurum facultatem percipiendi fructus, si locator morietur l. 9. §. 1. ff. loc. cond. potest vendere usumfructum. l. 35. §. 1. ff. de usuf. l. 66. ff. quib. mod. usuf. amitt. Donare gratisque concedere, l. 12. §. 2. de ff. usuf. Concedere enim nihil aliud est, quam uti frui per alium Proprietarius durante usufructu nihil agere potest in præjudicium fructuarii: ac ne servitudes quidem predio fructuario acquirere vel imponere, etiamsi fructuarius, consenserit nec vice versa usufructuarius retinere autem non solum potest, sed etiam debet adeo ut si non utendo servitudes amiserit, eo nomine teneatur, Domino proprietatis, l. 15. §. ult. ff. de usuf. conductorem expellere fructuarius potest, qui antea constitutum usumfructum prædium conduxit. l. 59. §. 1. ff. d. t.

## III.

Qr. an cautio fructuaria a testatore remitti possit? sunt qui affirmativam, sunt &c alii qui negativam sententiam assumunt, inter quos Pertz. in C. ad it. de usuf. item Zoef. & alii, cui posteriori sententiae & ego adstipulor, & quidem propter l. 6. ff. ut in pess. legat. l. pen. C. cod. l. I. C. de usuf. & hab. quæ sententia etiam usu forensi rebusque judicatis confirmata est Gail. 2. obs. 143. n. 1. & 12. Et ne detur occasio delinquendi in præjudicium hæredis, facile enim, amoto cautionis metu, inviteretur fructuarius ad male utendum re fructuaria: si ergo testator de facto in testamento suo remiserit cautionem, nihil omnis fructuarius, cui relictus est ususfructus, eam præstare tenetur, l. 1. C. de usuf. ratio est, quia nemo in testamento suo cavere potest, ne leges in testamento suo locum habeant. l. 55. ff. de leg. I. Gail. lib. 2. Obs. 44. Ab hærede remitti potest, quia hæc cautio in favorem hæredis, est introducta, & quilibet favori suo pro se introducto renunciare potest. l. 51. C. de Episc. & Cleric. l. pen. C. de pattis.

Ad-

## V. I.

Administratores civitatum contrahendo mutuum , eatenus obligant civitatem , quatenus pecuniam in civitatis utilitatem versam esse probaverit creditor , l. 27. ff. de reb. cred. Nov. 120. c. 6. §. 3. Bach. ad Trent. V. I. pag. 757. Los. de jure univers. part. 3. c. 4. n. 7. qui tamen hanc l. 27. non extendit extra mutuum , & sufficit semel in utilitatem civitatis versam esse, licet ex post facto ista utilitas desierit esse arg. l. 10. §. 1. l. 12. §. ult. & l. 52. §. ult. ff. de Negot. gest. l. 11. §. penult. l. 47. §. 1. ff. de solut. vid. Hahn ad Wisenb. intit. de Negot. gestu & haec probatio creditori non erit difficilis , si instituat actionem contra administratores , qui si expedient se nomine civitatis mutuum contraxisse , & pecuniam in ejus utilitatem impendisse , hanc exceptionem probare debent , arg. l. 19. ff. de prob. Magnif. Dn. Strua. Exerc. 16. th. 18. & 19. Magnificus Dn. Mollenbecker in suis Divis. cent. 1. Divis. 100. add. 6. in fin. alioquin ipsi soli , qui contraxerunt , tenebuntur , nisi hoc iis quibus alias simpli- citer administratio permittitur , specialiter concessum fuerit l. 13. princ. ff. de inst. act. vel nisi ab iis contractum sit , qui communia- tatis corpus vel totum , repræsentant in contrahendo civitatem l. 15. ff. quod vi aut clam. ibid. Zoef. ad l. 27. n. 14. potest tamen ci- vitas si læsa sit , ad exemplum Minorum implorare restitutio- nem in integrum l. pen. C. quib. ex caus. maj. l. pen. C. de jure Rei- publ. nam eadem ratione qua tenentur administratores civitatum , obligantur etiam tutores & curatores minorum l. 3. C. quand. ex fact. Tut. &c.

## V.

Qr. an societas omnium bonorum tacite contrahi possit , in qua scilicet omnia communicentur ? Affirmo , quia animo in- ter eos convenit , tum consensu contracta intelligitur l. 4. ff. de Societ. junct. l. 1. §. 3. l. 2. ff. de part. l. 2. ff. de Obl. & Act. Vid. Vinn. ad. inst. de Societ. unde appetat si duo fratres ætate maiores simul

## 6 DISPUTATIO JURIDICA

habitantes ex indivisa hæreditate lucrati fuerint, & sibi invicem rationes non reddiderint, præsumitur tamen tacitè inter eos contracta societas, & omnia erunt communia.

*etiam cum iuri obiecto mutari possit*  
**V. I.**

An venditori rei mobilis, etiam competit beneficium legis secundæ *C. de rescind. vend.*? Affirmatur, tum quod in eo sit eadem, & humanitatis &c hujus legis ratio, tum quod Imperatores generalem rei mentionem faciunt, tum quod non tam qualitas rei; quam damnum venditoris spectetur.

## V. I.

An abemptione perfecta contrahentes alterutro invito resilire possunt cum dispendio arrharum? & hoc Negandum statuo, cum ab emptione & venditione nudo consensu perfecta licet alterutrum contrahentium poeniteat, minime recedere liceat, nequidem cum arrharum jactura, sed præter arrharum amissionem, vel restitutionem, ad adimplendum contractus agendum est. *I. 2. C. quand. lic. ab empt. reoed.*  
*Vid. Brun. ad. I. 17. C. de fid. instr. uti & multis prejudiciis confirmat.*  
*Carpz. f. F. part. 2. const. 33. def. 14. conf. Berlich. decis. 43. item*  
*Magnificus Dominus Mollenbeicus in Divis. cent. 2. divis. 22.*  
*lit. a. & b. add. 3.* Itaque emptor si recusat implere contractum, perdit arrham, & nihilominus ad preti solutionem obligatus est *I. ult. ff. de I. commiss. & vicissim*, venditor, si nolit rem venditam tradere, duplicas arrhas restituere compellitur, ac insuper ad tradendum vel præstandum id, quod interest, cogi potest actione exempta *I. 1. 4. 28. ff. de contrah. empt.* Arrha hoc loco est omne id quod datur in signum contractæ vel contrahendæ emptionis, consistens pecunia numerata, & in aliis rebus.

Num

**V L I I.** Num Emphyteuta, qui intra triennium canonem non solvit, emphyteusin amittat, si Dominus ipsi tantundem debeat, quod Emphyteuta paratus est compensare! nostra sententia est compensationis locum esse, nec Emphyteutam jure suo cadere; ubi enim nulla est petitio, nulla est mora, l. 88. de R. J. nec est in mora qui legitima exceptione se tueri potest. l. 40. ff. de reb. Cred. l. 66. de R. J. Trent. Vol. 1. Disp. 25. th. 11. Lit. C. & D. Schneidw. ad §. 30. Inst. de act. n. II. & seqq.

**I X.**

De interpellatione aliquid disquirere lubet. Est autem interpellatio admonitio, quæ fit testato, solvendi vel accipiendo ejus quod debetur l. 122. ff. de V. O. & est duplex judicialis alia, alia extrajudicialis, judicialis interpellatio, quæ contrahitur per litis contestationem quæ est judicialis admonitio & interpellatio, l. 1. & 2. C. de usur. & fruct. legat. Extrajudicialis quæ fit per privatam denunciationem l. 32. ff. de usur. ut autom interpellatio efficax sit ad constituendum quem in mora, requiritur 1. ut interpellatio fiat vel per ipsum adversarium, vel per eum cui id mandavit l. 24. §. 2. ff. de usur. 2. ut interpelletur ipse debitor, absentis enim servus vel Procurator interpellari nequit cum effectu. d. l. 32. §. 1. 3. Ut interpellatio fiat opportuno loco d. l. 32. princ. qualis est domicilium, arg. l. 8. §. 9. ff. de transact. in genere dici potest illum locum esse opportunum in quo quis potest compelli ad solvendum arg. l. 18. princ. ff. de const. pecun. 4. ut fiat opportuno tempore arg. l. 39. ff. de solut. quid si enim ante diem in quo debebat interpellatus fuerit, non constituetur in mora interpellatus, quamvis autem alias in jure nostro opportunum tempus habeatur illud, quo viget judiciorum strepi-

## 8 DISPUTATIO JURIDICA

strepitus, sive tempus non feriatum, hic tamen non obstat  
puto, quo minus interpellatus feriato tempore constituantur  
in mora, modo tale sit negotium, quod feriato tempore  
explicari possit *arg. l. ii. §. 6. ff. ad legem Iul. de adult.* Quid si  
enim sit tale negotium, quod feriato tempore explicari non  
possit, puta si Faber vel Operarius Operaretur, eo casu in-  
terpellatum in mora constitui non puto. *arg. l. 21. C. deferrus.*

*etiam illud, cum ut alii, cum ut aliis, non in causa. & 24. 88. 1.  
non est omnes res in aliis. & 24. 88. 1.  
non est omnes res in aliis. & 24. 88. 1.*

**X.** *Quinto Extrajudicialis interpellatio non constituit inter-  
pellatum in mora, quando is tantum ex mero judicis officio  
dedet *arg. l. 44. ff. de damn. infect.* 6. Interpellatio debet fieri  
claris verbis & testato, id est testibus præsentibus, *arg. l.  
122. princ. & §. 3. ff. de V. O.* nam cum mora in facto confi-  
stat, quia magis est facti quam juris. *Vid. Magnificus Dominus  
Mollenbeicus in Divis. cent. 2. divis. 32. add. 1.* etiam probari  
debet, quæ probatio non commodius fieri potest, quam  
per interpellationem testato factam, 7. requiritur ut verba  
interpellantis sint incitatoria, id est, talia quibus serio petit  
rem *d. l. 32.* si enim simpliciter dixerit judiceo meis nummis,  
non efficit, ut scire possit debitor se tunc dare oportere,  
cum illa verba non tam scientiam, quam dubitationem  
magis involvunt, adeo ut is non censeri debeat inetrpella-  
tus, atqui in mora positus, quia ex mora debitoris non par-  
vum infertur præjucicium *l. 91. §. 3. de V. O.* &c in illis quæ  
magni momenti sunt simplex admonitio non obligat moni-  
tum *l. 7. in fin. ff. de tut.* 8. denique ut interpellatio, juste  
facta, interpellatum constituat in mora, requiritur ut post  
interpellationem tantum temporis spatium elapsum sit, in-  
tra quod illud, de quo interpellatus est, commode explicari  
possit, quod tempus judicis arbitrio temperandum erit,  
in conditionalibus vero obligationibus, existente condi-  
tione, non statim absque interpellatione in mora quem  
constitui verius est. *Magnificus D. Struv. Exer. 27. th. 68.**

Pu-

# I N A U G U R A L I S.

2

## X I.

Puperes curatorēm habentes sine ejus authoritate Jure Civili obligantur. *l. 101. de V. O.* Negatiya vero sententia continetur in *l. 3. C. de in integr. ref. ibid. Brun. add. l.* quod & mihi verius videtur, quia minores curatorem habentes non absimiles iis habentur in negotiis contrahendis quibus à Prætore Curatoribus datis, bonis interdictum est, ideo autem non videtur mihi probabilis *Cujac. sent. ad d. l. 3.* quasi alienare res suas quidem minor, sine tutoris consensu non possit, obligare autem se ad alienandum possit, hæc enim distinctio & verbis *d. l. 3. C. de in integr. ref.* manifestè refellitur, & ratio qua Imperatores utuntur perspicue probat, quod de una specie dicitur, ad alterum quoque pertinere, qui jus habet personam suam obligandi, ad rem alienandam, ille quoque jus alienandi habet, non enim obligacionis summus finis hic solet esse, ut personam nobis obligatam habeamus, sed ut id quod in obligationem deductum est consequamur. *l. 3. de Obl. & Adt. l. 3. §. 17. de Verb. Obl.*

## X I I.

Legandi licentiam habet quisquis testamenti faciendi jus habet *l. 2. ff. de leg. l. l. 1. de leg. 3.* nam cui permisum est principale, eidem accessorium non est denegandum, prohibentur autem filiifamilias, captivi, servi, de statu suo dubitantes, furiosi, prodigi, & similes *l. 1. princ. §. 1. 2. & 3. ff. de legat. 3.* Similiter prohibentur deportati *l. 8. §. 2. qui test. fac. poss. quod procedit etiam in bonis post deportationem adquisitis l. 26. de bon. proscr. non obst. l. 22. ff. de mand. at mulier licet inter viros donare non possit marito, legatum tamen ei relinquere potest, & hæredem instituere *l. 19. C. de legat.* quamvis matrimonium vel una die steterit.*

B

An

## XIIII.

An fidei comissum Familiae relictum in infinitum extendi possit? distinguedum id putem si ad certas personas sit restrictum, ultra illas non esse extendendum facile constat *arg. l. 67. § 2. de leg. 2.* At si in rem vel simpliciter sit conceptum, plurimi ad quantum gradum non extendere volunt per *Nov. 159. C. 2. vers. quod autem in verbo post quinque generationes*, verum uti alias successio, ita nec fidei commissum, quod in familia sine restrictione non est ad certum gradum determinatum, adeoque in perpetuum, voluit manere testator *l. 69. §. 3. l. 78. §. 3. ff. de legat. 2. neque enim dicta Nov. 159. C. 2. extra suos limites extendenda, quippe quae specialiter agit, de casu quo extraneus haeres existit*. *Gnd. de jst. nov. l. 2. C. 12. Sand. l. 4. tit. 5. defin. 4.*

## XIV.

Fidejussor potest accedere omni obligationi *l. 1. l. 8. §. 6. ff. de fidejuss. sive illa re. sive verbis, sive literis, sive consensu fuerit contracta §. 1. inst. de fidejuss.*, nec tamen principali obligationi, sed etiam accessoriarum *l. 1. l. 8. §. ult.* una tamen species obligationis exipitur, nempe cum fidejussor in causa dotis exigitur, quam maritus tenetur soluto matrimonio dotem uxori restituere, pro ea enim vertant constitutiones petere fidejussorem, ne causa perfidiae in conjugio generetur *tot. tit. C. ne fidej. dot. dent. Mysf. ad §. 1. Inst. de fidej.*

el

**Q**uod an in causa criminali Fidejussor accipi possit? Omnia statuendum puto, eo enim casu quod civiliter agitur ad poenam pecuniariam, Fidejussore enim in tali casu admisso, accusator vel Fiscus de poena pecuniaria fit certior, nec judicium datione Fidejussoris eludetur sed promovetur potius. Hanc opinionem non

non obscure confirmare videntur *l. 8. §. 5. l. 56. §. ult. de fidej. l. 3. b. 4. 7. §. ult. ff. de cust. & exhib. reor.* Sin autem agatur criminaliter, & ad coercitionem corporalem inutilem esse Fidejussum cum Vinn. & alis DD. censeo, quia nemo est ejus poenae succedaneus, cuius nulla fieri possit reparatio: Huc quoque accedit quod nemo sit dominus membrorum suorum *l. 12. ff. ad aquil.* ne consequenter ad poenam corporalem se nemo obligare possit, præterea nec iustitiae ratio patitur, ut is, qui non deliquerit, poenam hujusmodi sustineat *l. 22. C. de paen.*

**X V I I I .**

Fidejusso cum sit accessio obligationis principalis, & in accessione non plus esse possit, quam in principali re *§. 1. Inst. de Fidej.* Sequitur Fidejussum in duriorem causam accipi non posse, hoc est ut plus beat vel re, vel tempore, vel causa, quam principalis debitor *§. 1. inst. & l. 8. §. illud ff. de Fidej.* nihil tamen prohibet, quo minus efficacius obligetur, veluti per instrumentum garantiatum, per hypothecam, per jus jurandum, per poenae adjectionem, atque hoc illud est quod. DD. non ineligerant exprimunt, cum dicunt Fidejussum intensive non extensive obligari posse.

**X V I I .**

*Q.* an Fidejusso possit conveniri ad usuras, ex causa more principalis, quæ quæstio non magnam patitur controversiam quo ad contractus stricti Juris, quibus accedit Fidejusso: nam receptum non teneri ex mora principalis, quod in iis non veniant usuræ nisi in stipulationem deductæ *l. 3. C. de Usur.* quo etiam facit textus in *l. 22. ff. de Obl. & Att.* ubi Fidejusso non tenetur ad aliam estimationem quam quæ fuerit tempore Fidejussionis, nec debet illi factum imputari principalis, cum alterius condito per alterum non potest fieri deterior.

## XVIII.

An aduersus rem judicatam detur restitutio in integrum propter instrumenta noviter reperta, cum quis ex justa & probabili ignorantia ea non produxit? Affirm. DD. communiter, sed nobis illorum sententia magis arridet, qui contrarium statuant l. 4. C. de re jndic. l. 12. §. 3. ff. de bon. libert. l. 27. ff. de pœn. l. 35 ff. de re jnd. l. 27. de exep. rei jnd. arg. l. 29. C. de transact. Fach. lib. 1. controv. cap. 51. Harpr. ad Inst. de Exep. §. 5. Sed nec ob testes alios inventos junct. l. 25. C. de fid. instrument. publicè enim interest, sententiam vim & autoritatem suam conservare, sed tamen casibus quibusdam exceptis; (1) si ex falsis testimoniis vel instrumentis sententia lata sit. l. penult. C. de transact. l. 33. ff. de re jnd. (2) si dolo adversarii factum sit, quo minus instrumenta ante proferri poterant, arg. l. 19. C. de transact. (3) in fisco ob favorem causæ publicæ l. 35. ff. de re jnd. junct. l. unic. C. de sentent. aduersus fisco. jur. Wsc. ad ff. de re. jnd. n. 2. Treut. Vol. 2. Disp. 23. Th. 5. Lit. D.

## XIX.

Qr. an Magistratus oppidanus posset perquirere in dominibus ministrorum Principis, quæ in oppido ejusque territorio sitæ sunt? Resp. Negando, ubi enim jurisdictio non est fundata, ibi nec perquisitio facienda, hic non est fundata; quoniam illi superioribus tantum sunt subjecti judicii, ab inferiorum jurisdictione exempti, nec valet objectio, quod licet personæ inhabitantes sint exemptæ, domus tamen sint in territorio oppidi. Regeri si quidem potest, mutatione personæ inhabitantis, reietiam ipsius conditionem hoc casu mutari, quippe domus tutissimum cuique refugium & receptaculum esse debet, quod dum violatur, ipse qui inhabitat vim atqui injuriam patitur l. 18. ff. de jus vocand. Quod non tantum de viris est intelligendum sed etiam de eorum relictis viduis, quamdiu alii inferioris jurisdictio ni subiecto non nupsere argm. l. 8. de Senat.

Quæ-

## XX.

Quæritur. Et 2. ex hoc fundamento. An Magistratus urbicus possit perquisitionem in domibus Professorum cum effectu at recte permittere. An vero ut perquisitio fieri possit, consensus & jussus Magnifici Domini Rectoris requiratur? prius Negat posterius Affirmat *Dominus Ernestus Chotmannus lib. sing. Resp. 11.* In casu dissidii inter Academiam Rostochiensem & Magistratum oppidanum, (ubi quæstionem de clanculariis fætoribus quærendis pertractat) partim ob rationes speciales utputa ob transactionem quæ intercessit, distinguentem inter domus privilegiatas, & civico juri subjectas, quæ etiam simul denegat licentiam ejusmodi domus, sine jussu Magnifici Domini Rectoris ingrediendi, tum ob foundationem pontificiam, tum ob Privilegium divi Ferdinandi partim ob rationes communes, quod primo perquisitio ad causas civiles pertineat, de quibus solus Magnificus Rector jus dicit civibus suis *vi Amb. Hab. C.* Ne filius pro Patre & privilegiorum, quæ Academiæ in fundatione ejus conceduntur, 2. quod licet domus, in territorio illorum sitæ sint, & olim sub juris dictione Oppidani Senatus fuerint, tamem simul atque à Professore vel ab alio Academiæ membro possideri vel inhabitari cœptæ sunt, priorem suam qualitatem deponant, & personam successoris, & inhabitatoris, sequantur. 3. Quod tunc si Magistratu Urbico id liceret, certissime eventurum sit, ut Membris Academiæ falicè vis & injuria inferatur.


## XXI.

An convitii veritas excusset à pena injuriarum? Respondeatur cum distinctione, si verum dicet, & interesse Reipublicæ, ut crimen detegatur, & patrocinabitur veritas objectanti, injuriarum actione non tenetur! 18. ff. de injur. modo

probare crimen posset, quod probe distinguendum, cum alias convitii veritas injuriantem à poena non excusat l. 33. ff. d. t. l. 10. C. eod l. unic. C. de famos. libell. ut recte distinguit, Faschin. lib. 9. contr. 10. eamque distinctionem habet textus Ordin. Criminal. Carol. V. art. 110. in fin. Multo minus injuriantem excusat, quod ab alio injurias per famam se audivisse probet, qui nihilominus injuriarum judicio tenetur quod injuriam ab alio dictam propalasse convincatur arg. l. un. C. d. famos. libell. Berlich. pract. conclus. part. 5. concl. 65. n. 51. Carpzov. I. F. part. 4. const. 42. def. 5. sed queritur. An etiam Concionatores & Sacerdotes injuriarum teneantur, quando in concione certam personam criminis alicujus arguunt? Affirm. argm. l. 32. ff. d. t. R. 7. zu Augsburg de Anno 1530. §. habent viri item zu Speier de Anno 1542. §. Dicit aber Berlich. 5. concl. 59. n. 31. concl. 60. Ast quoniam suscepimus definitumque cursum jam satisfecisse, me ex quæstionum Oceano in portum referam interim candide Lector, non ex ornatu, & elegantia, sed ex innata forsan humanitate hascè theses pondera & mecum cogita.

Non omnia omnibus, non omnes,  
Non omnia, nec omnes mihi,  
Placent: Et quinam ego Omnibus?  
Paucis bonis: Uni Deo  
Curo placere. Est sat. Vale.

F I N I S.



C O.

# COROLLARIA.

*Mores in his inimicis non citare.*

A

I

A

*M*andator Vulneris cum interdictione, ne occidat!  
cæde subsecuta, non tamen de cœde de tenetur.

II.

*Juramentum metu extortum non obligat jure Naturæ.*

III.

*Non datur jurisdictio sine mixto imperio.*

I V.

*Fidejussor qui se obligavit ad maiorem summam quam debet principalis, ne quidem ad summa concurren- tem obligatur.*

V.

*Virgo quæ amoris vi capta amanti copiam sui facit,  
non rectè dicitur meretrix.*

V I.

*Usucapio non pugnat cum naturali equitate.*

V I I.

*Emptor hereditatis non habet jus accrescendi sed manet penes venditorem.*

VIII. No-

VII.

Novatio non præsumitur nisi sit expressa.

A I X E L I X A P O

Conducibilis iudicio ingeniosam quam pecuniosam ha-  
bere uxorem. arg. §. 2. Inst. de Societ.

X.

Tutoris datio neque imperii, neque jurisdictionis  
sed specialis concessionis.

X L

Princeps propter utilitatem publicam res privato-  
rum auffere potest.

X I.

Bonæfidei possessor rei vindicatione superatus omnes  
fructus ante litem contestatam consumptos irre-  
vocabiliter suos facit etiam si ex illis locupletior  
factus.

